

modo flens, modo cadens, modo clamans & Matrem, & alios perturbar. Q. an præster, ut Mater in casu Sacrum etiam in die festo omittat? Respondeo præstare, ut ipsa Mater in casu Sacrum etiam in die festo omittat. Tum quia reverentia debita loco sacro & Sacrificio, quodque in eo offertur, postulat, ut puer domi remaneat, quando sine debita quiete, & decentia nequit in Ecclesia custodiri: Tum quia Sacri auditio non est necessario procuranda, quando notabilis aliqua perturbatio, sive propria, sive aliena intervenit. Cum igitur ex terminis expōsiti casus, bimulo modo flente, modo cadente, modo clamante, reverentia Ecclesiæ, & Sacrificio debita non servetur, & magna perturbatio sive matrem, sive alios crucier, dicendum est, præstare, ut Mater, si non habet qui bimulum domi custodiatur, cum suo bimulo domi remaneat, & Sacrum etiam in die festo omittat. Ita Gobat. §. 1. tr. 5. cas. 14. num. 318.

CAS. II. Dubitat Famula, an satisfecerit præcepto audiendi Sacrum, cum fere rotum Sacri tempus in confessione peccatorum facienda insumpserit. Q. à Parocho dubii solutio.

Respondeo famulam præcepto audiendi Sacrum nequaquam satisfecisse. Ratio est, quia licet, dum quis confiteretur, præsens sit corpore, & possit esse simul mente, habendo eodem tempore intentionem audiendi Sacrum; adhuc tamen, cum Ecclesia ex una parte attentam Missæ auditionem per modum orationis præcipiat, & ex altera qui in enarrandis peccatis, & audiendis opportunis Confessarii consiliis tempus insumit, vere dici nequeat, quod Missam attente audiat, eidemque Missæ per modum orantis assistat, famulam in casu nostro nequaquam præcepto de audiendo Sacro satisfecisse dicendum est; & ita ad propositil dubii solutionem debet Parochus respondere cum Rosig. de Missa audienda art. 18. n. 9. Lugo disp. 22. sect. 2. n. 22. Girib. de observ. Fest. t. 8. cap. 2. n. 34.

CAS. III. Parochus ruralis nova sacra indumenta deferit ad Superiorem Conventus S. Francisci non multum à Parœcia sua distantis, ut ab illo benedictione donentur. Q. an bene se gerat?

Respondeo negative. Tum quia regularis Superior nullo jure potest sacra indumenta ad ipsum aliunde delata benedictione donare, ut constat ex Decreto Alex. VII. sub die 27. Septemb. 1659. in quo sub §. 18. de Prælatis Regularibus, habentur hæc verba: *Ecclesiasticam supellecūlēm pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel Monasteriorum benedicant*: Tum quia juxta rescriptum Sacrae Rituum Congregationis sub die 17. Januarii 1733. ad instantiam Eminentissimi Archiepiscopi nostri Prosperi Lamberti emanatum, ut ex ejusdem Notific. 20. volum. 1. apparet, pro dicta indumentorum sacerdotum benedictione in hac Dioecesi delegati remanent Vicarii Foranet, sicutque si Parochus noster aliqua indiget benedictione, ad proprium Vicarium, non ad S. Francisci Conventus Superiorem nova sacra indumenta deferre debet, ut bene se gerat.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. Numerum certum peccatorum ignorans confitetur Titius se vi-
cias, aut circiter perjurasse: inde post Confessionem liquido
de-

deprehendit se perjurasse tricies. Q. an hunc excessum teneatur in nova Confessione aperire?

Respondeo teneri. Licet enim ex communi doctrina non sit de novo exponendum unum, aut aliud peccatum, quod certo dignoscatur post Confessionem, si præmisso sufficienti examine, incertus peccatorum numerus cam illa particula circiter expositus fuit, quia per additionem dictæ particulæ etiam ille major numerus videtur sufficienter expressus: si tamen post Confessionem menti occurrat numerus peccatorum notabiliter excedens numerum incertum in Confessione expressum, oportet eum iterum manifestare, quia dici nequit, quod per additionem illius particulæ circiter, sufficienter expositus fuérit. Immo addendum hunc excessum in numero peccatorum, qui post Confessionem in memoriam cadit, non obscure indicare contigisse defectum etiam mediocris diligentia in discussione conscientiæ, sique integrum præteritam Confessionem utpote invalidam repetendam fore. Ita cum Gobat. t. 1. num. 420. Lugo disp. 16. num. 79. Giribald. de penit. tract. 7. cap. 7. num. 17.

CAS. II. Cum quodam die festo in Ecclesia rutali non reperiatur, nec aliunde pro tunc possit haberi hostia consueta pro Sacrificio, dubitat Sacerdos, an sit minus malum Missam relinquere, vel cum parva formula celebrare. Q. quid in casu agendum?

Respondeo Sacerdotem debere cum parva formula celebrare. Ratio est, quia licet nulla urgente rationabili causa, non sit recedendum à consuetudine, que juxta Card. Bona L. I. rerum liturg. cap. 19. Sæculo XI. inclinante, introducta fuit, celebrandi cum hostia consueta; adhuc tamen quando urget rationabilis causa, ut est illa audiendi Sacrum in die festo, potest sine hæsitatione à consuetudine prædicta recedi, quia nec ullum adest Ecclesiæ præceptum hoc vetans, nec ipsa introducta consuetudo in omni eventu ad eam servandam nos obligat, cum æqualiter in hostia majore, & minore sacrificium perficiatur. Quod si ex usu minoris formulæ aliqua populi Missam audituri admiratio prævideatur, idem populus de casu præmonendus erit, & sic omnis offendio, & admiratio cessabit. Ita cum Tamburin. de Sacrificio. Missæ L. 2. cap. 8. §. 8. num. 16. Pasqual. de Sacrificio. Missæ quest. 211. num. 2. Gobat. t. 1. tract. 3. num. 46.

CAS. III. Interdictus ab ingressu Ecclesiæ propter violationem præcepti Communionis Paschalis Missam frequenter audit in Oratorio privato. Q. an sine peccato, & violatione interdicti hoc fieri possit.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia peculiare interdictum, quo puniuntur qui præcepto Communionis Paschalis, quamvis plures admoniti, obedere detrectant, privat quidem omni participatione divinorum in Ecclesia; ita ut sic interdictus nec celebrare, nec dare, aut recipere Sacramenta, nec aliquod ministerium sacrum exercere, nec Missam, aut aliquod officium divinum audire in ea possit sine gravi peccato, & violatione interdicti; extra Ecclesiam tamen ea omnia quæ licita erant ante hanc censuram, licita remanent etiam post ipsam. Hinc cum nomine Ecclesiæ, in odiosis præsertim, non veniat Oratorium privatum juxta regulas 15. & 26. juris in 6. potest sic interdictus absque ulla culpa, & interdicti violatione Missam in

in oratorio privato audire; sicut Sacraenta Pœnitentiaæ, Eucharistiaæ, &c hujusmodi; si dispositus sit, sumere potest. Ita cum Suar. de cens. disp. 35. secl. 4.

MENSE OCTOBRIS.

CAS. I. *V*illicus antequam triticum in area dividatur, exigit ut tota tritici massa cribretur expensis communibus, domini scilicet agrotum, & conductoris; quod tamen ægre fert ipse conductor. Q. an conductor possit sibi pro damno, si quod patitur, in bonis domini compensare?

Respondeo cum distinctione. Vel agrorum conductor consensum præbet, ut expensis communibus cribretur triticum, antequam in area dividatur, licet intra se aliquo modo hoc ægre ferat; vel ostendendo se invitum, veluti coacte, & propter metum majoris damni ad tales expensas concurrit. Si prium, dico locum non esse compensationi, etiam si ipse conductor damnum aliquod experiat, quia ipsi ut pote consentienti nulla injuria facta est. Si secundum, dico, conductorem licite posse sibi pro damno, si quod necessario ex tali facto patiatur, in bonis domini compensare, quia injuste in rebus suis læso, debitibus servatis conditionibus, competit compensatione. Dixi, si quod damnum necessario ex tali facto patiatur; si enim per usum ordinariæ industriaæ posset adhuc fieri indemnus, non necessario ex Villici facto, sed ex propriæ industriaæ defectu damnum pateretur, sic que ad res domini pro compensatione configere licitum ipsi non foret. Ita etiam quoad substantiam Doctores communiter.

CAS. II. Plastrum vini, cuius pretium currens erat quadraginta librarum, Petrus emit a Paulo prelio librarum triginta quinque, eo quod per duos menses traditionem ipsius vini expectare deberet. Q. an iste contractus in conscientia sit tatus.

Respondeo. Ut licitum sit merces minoris emere, quam actu valeant, debet emptor aliquem justum titulum sic minoris emendi habere, ut contingit, dum ex anticipata solutione sequitur lucrum cessans, damnum emergens, periculum non habendi rem emplam, vel non habendi sinceram, vel quod tempore tradendæ mercis pretium futurum sit illud idem, quod ante tale tempus persolvitur; nullo enim ex his, aut similibus titulis interveniente, injustitia, & palliata usura committitur: cum ex quo quis præcise per aliquod tempus sua pecunia privetur, non recepta merce, lucrum in solutione minoris pretii exigat, quod licite fieri nequaquam potest, factumque restitutioni obnoxium est. Cum autem non alia causa assignetur, properet quam Petrus emit a Paulo prelio triginta quinque librarum plastrum vini, cuius pretium currens erat quadraginta librarum, nisi quia per duos menses ipsius vini traditionem debeat expectare, ut ex terminis casus videare est, patet talem contractum in conscientia tutum non esse. Ita communiter cum Girib. de contract. 3. cap. 2. num. 85.

CAS. III. Ruralis Parochus prohibuit, ne in publico Oratorio intra fines suæ Parocie sita Missa celebretur diebus festis ante Parochialem, quod ægre ferunt plurimi ex Parochianis. Q. an justa sit Parochi prohibicio?

Res-

Respondeo. Cum Sacra Congregatio plures decreverit, Ordinarium sanare posse, ne diebus festis Missa in Oratoriis publicis celebretur ante Parochialem, ut refert Illustrissimus, ac Reverendissimus Braschi in suo promptuario Synodali c. 107. n. 23. & 24. si Parochi prohibitio innixa est Episcopali Decreto, aut alicui Synodali constitutioni, dicendum est, iustum esse Parochi prohibitionem, cum ad eumdem spectet curare, ut in ejus Parocie superiorum decreta, & Parochialia jura in suo vigore permaneant: Si autem Parochi prohibitio præcise ab ipso promanat, dicendum est, eamdem prohibitionem nullo jure subsistere, cum eadem Sacra Congregatio censuerit, Parochum ex semetipso facere non posse prædictam prohibitionem, ut pariter ex Decretis 28. Januar. 1640. & 27. Junii 1741. apparet. Hinc cum Eminentissimus Archiepiscopus noster expresse mandaverit 2. Augusti 1735. ut in publicis Oratoriis ruralibus ultra milliarum à Parochiali Ecclesia non distantibus Missa ante Parochialem non celebretur; in aliis vero ultra milliarum distantibus etiam ante Parochialem valeat celebrari, dicendum est, quod in hac Diocesi juxta Oratris qualitatem Parochi prohibitio justa, vel injusta censenda est.

MENSE NOVEMBRI.

CAS. I. *T*itus ruralis Sacerdos, cum quadam die non invenisset, qm ejus Missæ inserviret, relicta Missa, seipsum devotionis causa propriis manibus Sacra Synaxi refecit. Q. an laudanda sit talis devotio.

Respondeo per se loquendo laudari non posse. Ratio est, quia licet hic usus se reficiendi propriis manibus Sacra Synaxi, qui antiquitus in Ecclesia viguit, ut ex innumeris Ecclesiasticæ historiæ monumentis apparet, nulla scripta lege prohibitus sit; adhuc tamen, cum multis ab hinc sæculis talis usus in Ecclesia cessaverit, & oposita vigeat consuetudo, quam infringere per se loquendo non licet, dicendum est, devotionem Sacerdotis nostri seipsum devotionis causa Sacra Synaxi reficiens nequaquam posse per se loquendo laudari. Dixi per se loquendo, nam si dies occurrat vel magis Indulgientiae, vel Sancti alicuius, quem maxime talis Sacerdos soleat venerari, ex his, vel aliosimili gravi motivo Sacerdotem nostrum in casu, quo omnis alius desit Sacerdos, a quo Sacram sumat Eucharistiam, eamdem posse è sacro Vase sumptiam sibi laudabiliter propria manu porrigitur dicendum est. Evitari tamen debet in casu proximi admiratio: quod de faciliter fieri potest vel per hoc, quod prædicta Eucharistiaæ receptione fiat a Sacerdote januis Ecclesiæ clausis, ita ut alius nemo sit praesens, vel per hoc, quod si qui sint adstantes, eos Sacerdos moneat, ne admiracionis occasionem sumant, si quod casu ei licitum est, ipsum facere intueantur. Ita cum Suar. r. 3. in 3. p. disp. 72. f. 3. Homob. de Exam. Eccles. p. 1. tr. 4. cap. 11. Girib. de Euchat. c. n. 7.

CAS. II. Monita st̄pē s̄p̄ius Caja lactans, ne in lecto teneat Infantem, sine debita cautione, non emendaatur, & quadam mane Infantem in lecto mortuum invenit. Q. an possit a simplici Confessario absolvī.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia licet Caja Infantem ante completam

Cap.

annum in lecto retinens sine debita cautione ipsum exposuerit suffocationis periculo, quod ex natura sua grande periculum est, & sub excommunicationis ferendæ censura l. 2. cap. 4. in Dicecesana Synodo vetitum, & ulterius rea sit suffocationis sequitur, cum ipsam suffocationem, utpote saepius admonita, prævidere debet, & præcavere; adhuc tamen, cum ex terminis casus habeamus, ipsam Cajam quidem mane Infantem in lecto mortuum invenisse, non autem ipsum Infantem data opera, & præmeditato malo animo occidisse, nequit dici casum hunc sub reservatione venire homicidii voluntarii, studioseque patrati, de quo unice dubitare possemus; & consequenter ipsam Cajam à quocumque simplici Confessario absolvvi posse dicendum est. Quod si autem, ut par est, adverterit plures similes Confessarii, non ita facile cogerent penitentes mulieres ad subeundum plurium aliquando milliariorum iter, ut ad Pœnitentiarios pro absolutione obtinenda accedant. Ita cum Hobnob de cas. reserv. part. 2. cas. 3. except. 13. Girib. de pœnit. c. 15. n. 65.

CAS. III. Parochus sciens Titum, qui ad Parochialem Ecclesiam consufit, reum esse proditoriae occasionis, eum petentiibus laicalis curiæ ministris, nullo facto verbo, concedit. Q. an stante certa scientia proditionis bene se gerat.

Respondeo negative. Quia licet reus proditoriae occasionis Ecclesiastica immunitate non gaudeat, ut constat tum ex jure communio in cap. 1. de homicidio, tum ex Bulla Greg. XIV. juxta illud Exod. Si quis per iudicium occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altare meo evelles eum, ut moriatur; extractio tamen à loco immuni fieri nequit nisi auctoritate Judicis ordinarii Ecclesiastici, & interventu personæ ab eodem Judice deputata, ut in Congregationibus sub Clem. IV. & Bened. XIII. sancitum est. Si igitur Parochus Titum, qui ad Parochialem Ecclesiam consufgerat, laicalis curiæ ministris, nullo facto verbo, concessit, etiam in stante certa scientia circa partitam à Titio proditoriam occasionem male se gessit, ut ex dissertiissima Instructione, quam de hac re edidit Eminentissimus Archiepiscopus noster sub die 25. April. 1735. satis fuse appareret.

MENSE DECEMBER.

CAS. I. C^Aju^s emit à Tito domum ea conditio[n]e, ut quandocumque voluerit, ipse Cajus possit pretium, quod dedit, repeteret, & restituere domum. Q. an iste contractus sit validus.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia nullo jure prohibitum est, ne pacatum in emptione ponatur, quod in Venditoris gravamen, & Emptoris favorem vertatur, si gravamen venditori impositum majori pretio compensetur. Tale enim pactum nullam usuram contineat, cum in casu non interveniat purum mutuum, sed vera emptio, ut clavis colligi potest ex eo, quod si domus pereat, perit emptori, & si iste nolit retrocedere domum, nequit repeteret pretium, qua de re dici nequit. Cajum dedisse multuo pretium Titio cum facultate illud recuperandi pro libito, acceptis interim supra somum fructibus, cum isti vere ipsi Cajo tamquam Domino domus debiti sint. Ita cum Rosign. de contract. prænot. 4. conut. 2. n. 1. & seq. Azor. part. 3. instit. mor. l. 8. c. 12.

CAS.

CAS. II. Petrus uxoratus patrat adulterium, inde mortua uxore, petit ad Sacros Ordines promoveri. Q. an tali promotioni aliquod obstet impedimentum.

Respondeo negative. Ratio est, quia dici nequit Petrum in casu bigamum esse bigamia interpretativa, & fictione juris, de qua dubitare unice posset; cum neque dicatur duxisse in matrimonium viduam; seu corruptam, neque secundum matrimonium, etiamsi invalidum, contraxisse. Cum itaque mulier, quam, durante matrimonio, Petrus ex adulterio cognovit, non fuerit ab ipso cognita affectu maritali saltem apparenti, & externe tali, dicendum est nullam incurritis irregularitatem, per quam, soluto matrimonio, à suscipiendo ordinibus arceatur, cum ista irregularitas pro simplici uxorati adulterio expressa in jure non habeatur, ut in cap. mper. & cap. debitum de bigam. perspicuum est. Ita cum Silvest. V. Bigamia n. 1. Cassian. à S. Elia V. Bigamia n. 17.

CAS. III. Duo Parochi valde vicini, quorum subditi in parvo numero sunt, frequenter, nulla facultate petita, ab eorum Parœclis per aliquot dies absentes fiunt; modo uno, modo altero absentis vices supplente. Q. an sine culpa hoc fieri possit.

Respondeo negative. Nam frequenter à Parœcia abesse, est contra Parochorum statum, qui Residentiæ obligationem importat, ut ex Trid. & contra expressam Superiorum mentem, qui proinde variis pœnis absentes sine debita facultate perstringunt. Si igitur absentia ultra triduum esse non debet, licentia in hac Dicecesi à Vicario Foraneo, & pro ipso à Parochio Señiore in scriptis obtenta esse debet; si ultra triduum, ab Ordinario, vel ejus Vicario Generali, ut Eminentiss. Archiepiscopus noster in Instructione à se edita sub die 6. Martii 1733. aperte præcipit, ac disponit, cum neque parvus numerus subditorum neque supplementum Parochi vicini, sive alterius substituti sine obtenta in scriptis debita facultate à residentia excusent, vel reddant absentes à culpa, & pœnis immunes, ut ex pluribus datis Sacrae Congreg. Decretis insuper laudata Eminentissimi nostri Instructione videre est.

ANNO MDCCXXXIX.

MENSE JANUARI.

CAS. I. O^Bstetrix partui assistens, videns Infantem vix natum morte periclitari, digito in aqua lustrali madefacto, eum in fronte signat, dum Baptismi formam profert. Q. an necesse sit prædictum baptisma sub conditione iterari.

Respondeo affirmative. Quocumque enim modo conferatur Baptisma ex tribus, quibus valide conferri potest, tanta semper aquæ copia requiriatur, quantumvis parva, ut de ipsa certo verificetur, quod supra corporis partem, quam